

quez ex translatione Perionii in illis verbis Dionysii. Nam præterquam quod aliæ translationes non minoris auctoritatis sunt, tamen verba translationis Perionii potius pro nobis sunt: hoc enim modo se habent: « Sanctorum Cherubim ordo sapientiæ, scientiæque altioris est particeps; ordines autem earum essentialium quæ eis subjectæ sunt, participes quidem etiam ipsi sunt, et sapientiæ, et scientiæ, sed ejus quæ pars est, ut ad illos, et quæ inferiorum locum teneat. » Hucusque retulit Vasquez, sed oportet legere sequentia: sic enim pergit translatio Perionii: « Ac particeps quidem esse omnino, et sapientiæ, et scientiæ, commune est divinarum mentium omnium; sine autem ullo medio, atque primum particeps esse, aut secundo loco, et inferiore, non item, sed ut cuique pro captu suo constitutum est. Id quod etiam sine errore de omnibus divinis mentibus statui potest. Ut enim primæ cum fœnore habent sanctas inferiorum proprietates, sic etiam illas superiorum habent ultimæ, non tamen eodem, sed inferiore modo. » Manifeste ergo revincitur ex verbis Dionysii falsam esse interpretationem Vasquez quod voluerit Dionysius inferiores mentes partem scientiæ superiorum accipere, id est, pauciora objecta cognoscere, afferens truncatum Dionysii locum, nec sequentia considerans, ubi clare Dionysius se explicat, quod eadem sciant inferiores, quæ superiores, sed non eodem modo; et sic in diversitate modi cognoscendi, diversitas est, non in paucitate cognitorum: si autem iste modus diversus est, quod unus sit pars alterius, seu particularis respectu alterius, manifestum est quod in superioribus universalior scientia est, si quidem modus inferiorum pars illius dicitur quantum ad modum, non quantum ad numerum

cognitorum. Et licet verum sit quod D. Thomas in II, dist. III, q. II, art. II ad II docet: « Non esse a veritate remotum, quin plura subiaceat cognitioni naturali, superiorum quam inferiorum: » hoc non intelligitur de numero rerum cognitarum, sed de pluribus rationibus, vel respectibus aut dependentiis quas habent res ad superiores illos Angelos, quas non ita cognoscit Angelus inferior, sicut superior. Quæ est doctrina ejusdem sancti doctoris q. VIII de verit. art. X ad II.

XI. Secundus locus S. Dionysii, quem affert D. Thomas infra q. CVI, art. I est in capite XV de cœlesti hierarchia paulo ante medium, ubi loquens de adaptatione humanorum membrorum ad significandum metaphorice Angelorum virtutes, et ministeria, inquit: « Unaquæque enim essentia, quæ mente prædita est unicam intelligentiam quam a diviniore traditam accepit, vi quadam qua aliis natura consulit, dividit atque implicat pro captu, et ductu inferioris. » Et notandum est quod in principio capitis dixerat Dionysius loquens de conversione, et motu Angelorum, quod: « Cœlestibus naturis omnibus vere hæc omnia convenient, etsi aliis superiori modo atque generali ut sæpe dictum est, aliis autem inferiori, et ut ita dicam particulari. » Ubi vides S. Dionysium frequenter hoc tradere quod superiores Angeli superiori modo, id est, generali seu universaliter, inferiores particulariter cognoscunt et hoc ipsum deinceps vocat esse unicam intelligentiam quam superiores dividunt ac multiplicant pro captu inferiorum. Modus ergo inferiorum est multiplicare, ac dividere ea quæ unite, et consequenter universaliori modo, seu generali superiores intelligunt.

Respondet Vasquez ubi supra capite quarto, Dionysium non loqui de

speciebus angelicis, sed de conceptibus circa divinas revelationes, quas Angeli superiores cognoscunt unico conceptu, sed dividunt ut ab inferioribus capiantur juxta modum suum: ad quas tamen revelationes dicit non indigere speciebus propriis.

Cæterum si Angelus superior intelligit unico conceptu hæc objecta supernaturalia, inferior autem pluribus: ergo modus cognoscendi superioris Angeli universalior est, et magis unitus, quam inferioris, et consequenter eodem modo se habebit in cognitione naturalium, quia supernaturalium cognitio datur Angelis juxta proportionem, et modum quo cognoscunt naturalia, sicut nos cognoscimus illa cum discursu, et Angeli sine illo: ergo similiter in cognitione naturalium magis unite, et universaliter intelligent superiores Angeli quam inferiores. Quod si cognitio, et conceptus universalior est, et simplicior, etiam species impressæ simpliciores erunt, et universaliores, quia conformiter ad conceptus, et ad modum intelligendi se habent species, quibus intellectus formatur ad cognoscendum. Nec est verum ad objecta supernaturalia Angelos non habere proprias species, cum generaliter probatum sit nullam cognitionem fieri sine speciebus: et si cognitio sit propria, et quidditativa, species etiam habere debet proprias, et quidditativas talis objecti.

XII. Ratio autem conclusionis positæ sumitur ex eo, quia species repræsentativæ objectorum possunt esse magis vel minus spirituales, et immateriales quam aliæ juxta quod intellectus ipse quem actuant magis immaterialis, et spiritualis est. Et constat quod de eadem re sensibili, et materiali dantur in nobis diversæ species, aliæ aliis perfectiores, sicut de colore dantur species

visibiles in oculis, et perfectiores, magisque subtiles in imaginatione; spirituales autem in intellectu: signum ergo evidens est de eadem re formari species diversæ immaterialitatis, et perfectionis in repræsentando: et consequenter sub altiori ratione formali attingi objectum ab una specie quam ab alia, nec solum coarctari ad intelligibilitatem, vel immaterialitatem quam objectum fundat de se: sicut sub altiori ratione repræsentatur color ut imaginabilis, quam ut visibilis: ergo similiter in ipsis intellectibus separatis quanto unus intellectus est altior, et simplicior, tanto species repræsentativæ objectum erunt subtilioris, et perfectioris intelligibilitatis et immaterialitatis, quam species intellectum inferiorum: ergo objecta ipsa sub diversa intelligibilitate, et immaterialitate sunt repræsentabilia, atque adeo in aliquo intellectu superiori habebunt majorem immaterialitatem in modo repræsentandi, quam objecta ipsa de se fundant, sicut res corporeæ non fundant de se tantam immaterialitatem, et intelligibilitatem, quantum habet intellectus Angeli superioris, v. g. Cherubini, et Seraphini; et consequenter neque tantam quantum habent species, quibus tales intellectus utuntur ad objecta cognoscenda, eo quod proportionari debent species intelligibiles in immaterialitate, et simplicitate ipsi immaterialitati, et simplicitati intellectus.

Si autem semel convincimur, quod species repræsentativæ alicujus objecti possunt esse altioris immaterialitatis quam ipsum objectum de se fundat, consequenter debemus convinci, quod possit dari species repræsentativa quæ plures et diversas quidditates uniat sub unica ratione formali comprehendente illas, quia possunt illæ plures quiddi-

tates convenire in illa altiori immaterialitate, et in quantum vestiuntur sub tali immaterialitate representari sub unica specie, sicut ea quæ in diversis sensibus exterioribus diversis speciebus representantur sub altiori ratione representari possunt in sensu communi, et in imaginatione. Unde si potentia intellectiva est altior, et efficacior, magisque comprehensiva, quam inferior, consequenter postulabit species non solum magis immateriales, sed etiam magis unitivas, et efficaciores in representando unitive, et comprehensive sua objecta, quam intellectus inferior, desumeturque hæc major immaterialitas non ex adæquatione ad ipsum objectum, cuius species est, sed ex altiori principio ut in solutione primæ difficultatis dicemus.

XIII. Sed dices, rationem hanc aut nimis probare, aut nihil: nam si efficax est, probat cujuscumque intellectus speciem respectu rerum sibi inferiorum esse tantum unam, quia immaterialitas talis intellectus una est, species autem illi deservientes eandem induunt immaterialitatem, quia proportionantur tali intellectui quem informant: ergo si ideo objecta representantur unite, et sub unica ratione, quia sub altiori immaterialitate representantur a speciebus, consequenter si illa immaterialitas est una, sicut et ipsius potentia, etiam species erit una, et sic omnes Angeli respectu inferiorum rerum tantum habebunt unicam speciem. Et instatur ulterius in speciebus infusis animæ Christi: nam tales species supernaturales sunt, et sub lumine supernaturali representant, præsertim res supernaturales, et ordinis gratiæ, et tamen non unite, et universaliter representant res illas sicut species angelicæ, sed multipliciter, et divisim sicut docet S. Tho-

mas III p. q. XI, art. VI. Ergo ex majori immaterialitate sub qua species representant objecta, non potest earum unitas, et universalitas in representando inferri.

Respondetur rationem factam solum probare quod datur sufficiens fundamentum ex parte specierum, quæ ad intelligendum requiruntur in Angelo, ut non quælibet species debeat adæquari intelligibilitati propriæ hujus vel illius objecti quod representat, sed potest sub aliqua altiori immaterialitate, et spiritualitate quam sit intelligibilitas propria hujus objecti, illud præsentare, atque adeo quod possit in aliquo medio elevatori, et universaliori representare plura objecta, quatenus sub illa majori, et elevatori intelligibilitate plura objecta possunt convenire, quod est intentum D. Thomæ, quod scilicet species istæ sint universaliores ex parte medii, seu rationis formalis sub qua representantur, non vero universaliores solum ex parte rei cognitæ. At vero quod ita elevetur ista representatio quod per unicam speciem possint omnia objecta inferiora representari, dependet ex alio principio, videlicet, quod intellectus ille sit ita efficax etiam respectu omnium sibi inferiorum, quod possit in unica representatione, et unico actu adæquate correspondente illi speciei omnia inferiora comprehendere: hoc enim non sequitur ex præcisa immaterialitate intellectus, quæ excedit, et superat objectorum inferiorum immaterialitatem, et intelligibilitatem, sed ulterius attendenda est ipsa intellectus vis, et efficacia, aut debilitas major vel minor, secundum quam lumen illius, et vigor potest accommodari cum minori representatione magisque particulari, et non cum majori et magis universaliori, quia illa debilior virtus, et lumen intellectus cum

tam unita, et universaliori representatione confusius se habet, sicut de anima rationali docet S. Thomas infra q. LXXXIX, art. III et IV, quod per species infra habet cognitionem minus perfectam quam Angeli, etiam respectu rerum materialium, quia habet minorem efficaciam intellectus, Angeli vero propter efficaciam sui intellectus per hujusmodi species habent perfectam, et propriam cognitionem de rebus; et tamen animæ separatæ habent immaterialitatem supra omnia corpora. Eadem ergo ratione intellectus alicujus Angeli inferioris propter minorem efficaciam, et vigorem sui intellectus non poterit in unica specie omnia sibi inferiora cognoscere proprie, et distincte, quæ fortasse poterit Angelus superior, licet inferior Angelus in immaterialitate excedat objecta sibi inferiora, quia non omnis major immaterialitas respectu objectorum infert in ipsa activitate, et vigore intellectus modum tam unitum, et efficacem, quod possit omnia illa unico intuitu attingere, vel unica representatione, quia hoc dependet ex aliis rationibus, scilicet ex majori perfectione, activitate et majori assimilatione, et accessu ad Deum, unde sumitur diversus gradus, et perfectio in Angelis etiam sub eodem immaterialitatis genere. Instantia autem de speciebus infusis animæ Christi non obstat, sed confirmat quod dicimus. Nam licet species illæ sub altiori lumine, et majori immaterialitate representent, tamen quia intellectus animæ de se minus efficax, et vigorosus est quam Angeli indiget sibi particularizari, et proportionari representationes rerum, ut propriam, et claram cujusque notitiam habeat, quia ex sua natura inclinatur ad habendum species desumptas ab objectis, aut si fuerint infusæ, quod adæquatur intelligibi-

litas earum objectis ipsis, non ex superiori principio sumatur, scilicet ab ideis divinis, ut infra dicemus. Quare major, et altior universalitas in representando ex parte specierum, sufficienter probatur ex ratione adducta, quod non sit impossibile. Quod vero cuilibet intellectui habenti immaterialitatem supra sua inferiora sufficiat tam unita, et universalis ratio representandi, qualis est in unica specie respectu omnium inferiorum, dependet ex majori, et altiori efficacia intellectus in tali immaterialitate reperiens ad hoc ut possit accommodare cum illa representatione, aut magis particularizata indigeat, etiam respectu inferiorum, sicut exemplo animæ separatæ comprobatur.

Denique, constat quod potest dari conceptus aliquis representans modo magis unio et universaliori plures, et diversas quidditates, sicut potest dari una scientia adunans sub altiori lumine diversas quidditates rerum: ergo etiam possunt dari species impressæ magis universales, et modo unito representantes. Patet consequentia, quia non minus representativi sunt conceptus, quam species: ergo si ex parte representationis non repugnat conceptus esse magis universales in representando, neque repugnabit quod species impressæ sint etiam magis universales in representando: præsertim, quia species impressæ proportionantur conceptibus, quia ex illis formantur conceptus tamquam ex principio representativo: ergo sicut dantur tales conceptus universales in representando plures quidditates, etiam et species. Antecedens autem constat, quia licet plura ut plura non possunt unico conceptu attingi, bene tamen plura per modum unius etiam secundum quod apprehenduntur per modum distinctionis, et differentia ut docet

S. Thomas infra q. LVIII, art. II et IV, et q. LXXXV, art. IV ad IV. Ergo potest intellectus plures quidditates differentes sub unico conceptu attingere secundum ipsam comparisonem differentie inter se. Similiter constat, quod scientia quanto est abstractior, et altior, sub una intelligibilitate, et lumine plura attingit, sicut metaphysica ad plura extenditur quam physica, et ars architectonica ad plura se extendit, quam ars ministerialis, et inferior: ergo similiter non repugnabit quod sub aliquo medio, et intelligibilitate altiori aliqua species representet plura etiam proprie, et distincte secundum quod ex tali intelligibilitate altiori illuminari, et manifestari possunt etiam ea quæ propria sunt talium quidditatum, ut ex solutione argumentorum melius explicabitur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Contra hanc tamen resolutionem triplex occurrit difficultas.

XIV. Prima, quia illæ species universaliores debent habere unitatem ex unitate objecti representati, ita quod non solum detur una ratio formalis sub qua, sed etiam una ratio formalis quæ: hoc autem non apparet quodnam sit. Nam si est aliquis gradus superior, et genericus in quo conveniunt plura inferiora, tale objectum, et res representata directe quidem attingetur per talem speciem, non tamen mediate illo representabuntur inferiora proprie, et distincte, et actu ut sunt in se, quia non poterunt representari nisi prout continentur in tali ratione communi, in qua representantur; ibi autem continentur solum potentialiter, et in confuso: sic enim genus continet species: ergo sic representabuntur, et non distincte. Si

autem illud quod est ratio representandi plura per aliquam speciem non est gradus aliquis genericus, sed causa, vel conditio, aut respectus, vel accidens aliquod sub quo plures, et diversæ quidditates possunt uniri, et representari tamquam in eo convenientes, imprimis non semper poterit assignari aliqua causa creata, quæ sit causa, v. g. omnium animalium, aut totius unius generis, etiam quantum ad ultimas differentias (suppono enim quod non nisi in causa creata representari possunt: in Deo enim extra visionem beatam nihil videtur). Sola autem conditio extrinseca, vel accidens aliquod, vel respectus pluribus communis, non apparet quomodo possit esse ratio representandi omnia quæ pertinent ad illas diversas quidditates proprie, et distincte, cum talis ratio sit illis extrinseca. Ac denique quidquid creatum est, non potest ita adunare duas quidditates specie, aut genere diversas, quod adæquate, et perfecte representet quidquid in illis est, alias autem quælibet adæquate, et perfecte representari potest per speciem sibi propriam, et adæquatam. Ergo non est dabilis species universalior in superioribus Angelis quæ stante illa universalitate representet res contentas distincte, et proprie, sed solum in confuso tamquam in superiori prædicato.

XV. Secunda difficultas est, quomodo intelligatur quod Angeli quanto superiores, tanto habeant pauciores species: si enim quilibet Angelus quanto est superior in specie sua, seu in specifica ratione pauciores species habet quam inferior, certe cum in sententia D. Thomæ omnes Angeli differant specie inter se, cito devenietur ad aliquem Angelum, qui per unam speciem, vel per nullam intelligat omnia, et admittendo etiam aliam sententiam

D. Thomæ quod Angeli excedunt incomparabiliter omnia corpora, saltem omnes species corporum, facile deveniemus ad Angelum qui omnia corpora intelligat unica specie, et Angelus eo superior intelliget corpora, et spiritus sibi inferiores per unam speciem, et ex ipsis spiritibus etiam plures ex illis per pauciores species intelliget. Unde potest deveniri ad Angelum, qui poterit intelligere omnes inferiores per unam speciem, etsi alius supra illum crearetur, intelligere omnia per nullam speciem, sed per suam essentiam, quod D. Thomas omni Angelo negat in hac quæstione LV, art. I. Quod si dicatur quod non quilibet Angelus perfectior in specie habet pauciores species, sed possunt plures Angeli diversæ speciei per eandem speciem intelligere, evertitur omne fundamentum ponendi pauciores species in Angelis, quanto sunt superiores, et solum pro libito, et divinando poterit assignari, quibus Angelis conveniat uti speciebus ejusdem universalitatis, et quibus conveniat habere universaliores species super alios. Quod enim assignentur species universaliores Angelis, quando sunt distincti ordinis, vel superioris hierarchiæ, omnino incertum est, nec majus fundamentum habetur ad id affirmandum, quam ad negandum. Et D. Thomas solum docuit quod Angeli quo superiores, et perfectiores, vel quanto aliquis est Deo propinquior, tanto habet species universaliores, et ad plura se extendentes, ut affirmat in hac quæstione LV, art. III et in q. de anima, art. VII præsertim ad quintum. Constat autem quod quilibet species Angelorum, quanto est altior, tanto est Deo propinquior.

XVI. Tertia difficultas est, quia si Angelus quanto superior tanto paucioribus speciebus utitur, iisque universalioribus, poterit Angelus ha-

bens unam speciem pro omnibus animalibus, vel pro omnibus corporibus elicere actum adæquatum talis speciei; et sic unica cognitione attingere omnes species animalium vel corporum. Ex hoc autem sequitur quod possit Angelus unica specie representare infinitas res, et unico actu eas attingere, v. g. omnes species animalium, vel corporum, et omnia accidentia, et operationes, seu motus, et quidquid ad illas consequitur, quia cum illa omnia quidditative, et comprehensive attingat, per illam speciem qua tales quidditates cognoscit, omnia ista attingere debet. Hæc autem sunt in infinitum multiplicabilia: nam sub genere animalis possunt infinitæ species multiplicari, et in qualibet specie possunt infinita accidentia, vel operationes variari: et quacumque specie animalis producta representabitur in illa specie Angeli: ergo cum possint in infinitum produci jam de se species illa continet in se omnium illarum representationem, si quidem hoc ipso quod producantur, habet vim ad representandum illas. Constat autem, quod representare unam speciem perfectio est, et representare plures major perfectio: ergo representare infinitas, erit infinita perfectio. Imo hoc ipso quod una species intentionalis non solum representat unam naturam, sed plura poterit representare quascumque in quocumque numero, quia non est major ratio cur limitetur ad duas, vel viginti, vel centum, quam ad infinitas. Similiter constat, quod quæcumque representantur unica specie, possunt unico actu, et conceptu attingi, quia uni speciei correspondet aliquis actus, et conceptus adæquatus: ergo poterit per aliquem actum exprimi totum quod in specie impressa representatur.

XVII. Ad primam difficultatem